

THE DEATH OF HANNIBAL (183 B.C.) (39.51)

Hannibal remained in Carthage after the Second Punic War but was eventually driven out at the insistence of Rome and fled to the court of Antiochus III the Great, king of Syria, whom he served as general in his war against Rome. After Antiochus' defeat in 188 B.C., Hannibal fled to the court of king Prusias I of Bithynia. Rome sent an envoy to demand his surrender and Hannibal committed suicide to avoid being handed over.

1 [51] Ad Prusiam regem legatus T. Quinctius Flaminius venit, quem
2 suspectum Romanis et receptus post fugam Antiochi Hannibal et bellum
3 adversus Eumenem motum faciebat. Ibi seu quia a Flaminiño inter cetera
4 obiectum Prusiae erat hominem omnium, qui viverent, infestissimum populo
5 Romano apud eum esse, qui patriae suae primum, deinde fractis eius opibus
6 Antiocho regi auctor belli adversus populum Romanum fuisset; seu quia ipse
7 Prusias, ut gratificaretur praesenti Flaminiño Romanisque, per se necandi aut
8 tradendi eius in potestatem consilium cepit; a primo colloquio Flaminiñi
9 milites extemplo ad domum Hannibalis custodiendam missi sunt.

10 Semper talem exitum vitae suae Hannibal prospexerat animo et Romanorum
11 inexpiabile odium in se cernens, et fidei regum nihil sane confisus: Prusiae
12 vero levitatem etiam expertus erat; Flaminiñi quoque adventum velut
13 fatalem sibi horrerat. Ad omnia undique infesta ut iter semper aliquod
14 praeparatum fugae haberet, septem exitus e domo fecerat, et ex iis quosdam
15 occultos, ne custodia saepirentur. Sed grave imperium regum nihil
16 inexploratum, quod vestigari volunt, efficit. totius circuitum domus ita
17 custodiis complexi sunt, ut nemo inde elabi posset.

18 Hannibal, postquam est nuntiatum milites regios in vestibulo esse, postico,
19 quod devium maxime atque occultissimi exitus erat, fugere conatus, ut id
20 quoque occursum militum obsaeptum sensit et omnia circa clausa custodiis

21 dispositis esse venenum, quod multo ante praeparatum ad tales habebat
22 casus, poposcit. “Liberemus” inquit “diuturna cura populum Romanum,
23 quando mortem senis exspectare longum censent. Nec magnam nec
24 memorabilem ex inermi proditoque Flaminius victoriam feret. Mores
25 quidem populi Romani quantum mutaverint, vel hic dies argumento erit.
26 Horum patres Pyrrho regi, hosti armato, exercitum in Italia habenti, ut a
27 veneno caveret praedixerunt: hi legatum consularem, qui auctor esset
28 Prusiae per scelus occidendi hospitis, miserunt.”

29 Exsecratus deinde in caput regnumque Prusiae, et hospitales deos violatae ab
30 eo fidei testes invocans, poculum exhausit. Hic vitae exitus fuit Hannibalis.